DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
SYNOPSIN MORBORUM
IN CLINICO MEDICO PRIMO
ANNO SCHOLASTICO 1844—1845 TRACTATORUM,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA ET CHIRURGIA
PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS
IN CELEBERRIMA
C. R. ACADEMIA
MEDICO-CHIRURGICA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT

ANTONIUS WERNER,
BOHEMUS RODOWITZENSIS.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die   mensis Julii 1846.

VINDOBONAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITHARISTICAE.

„Nonnullos quidem arte medica curatos sanitati esse restitutos, consensu omnium patet; quod vero non omnes, hac in re jam ars reprehenditur. At objiciunt, qui de ea deterius loquuntur, qui morbis corripiuntur, ex iisque evadunt, ipsos fortuna, non arte sanos evadere.“

Hippocr. de arte cap. III.

MATRI OPTIMÆ

HASCE PAGELLAS

IN

AETERNAM PII AMORIS MEMORIAM

SACRAS ESSE VULT

GRATISSIMUS FILIUS.

PROOEMIUM

Ultimum absolvatur pensum, exeat in lucem dissertatio inauguralis! Quae quum primitias sistat literarias, quas lege obligatus publici vult esse juris, indulgentiam sibi poscit benevolamque censuram autor parum versatus.

Quoad dispositionem opusculi mihi restat commemorare, praemisso conspectu tabellari, exhibente numerum aegrorum susceptorum tum

militum tum civilium nec non illum dimissorum triplici statu notis adjectis atque mortuorum, brevem dari tractatum de morbis secundum divisionem Illustrissimi D. Equit. ab ***Raimann*** cum historiis breviter excerptis casuum notabiliorum.

Viennae 10. Julii 1846.

Auctor.

Conspectus

aegrorum anno scholastico 1844 — 1845 in clinico medico primo Academiae Josephinae tractatorum.

	Status morbi.	Suscepti Milit.	Suscepti Civil.	Dimissi. Sanati	Dimissi. Emeliorat.	Dimissi. Non sanati	Mortui.	Adnotationes.
Febris	nervosa (Typhus) .	4	7	7		1*	3	* Ob scorbut. in nosocom. Möllersdorf. missus.
	catarrhalis . . .	1	3	4				
	rheumatica . . .		5	5				
	gastrico - saburralis	2		2				
	— biliosa .	1	2	3				
	intermittens . .	5		5				
	Meningitis	5		3			2	
	Delirium tremens . .	4		4				
Inflammatio	glandularum salival.		1	1				
	parotidis		2	2				
	faucium	1	1	2				
	laryngis et tracheae	1	1	1			1	
	bronchorum . .	1	1	2				
	cordis	2		1			1	
	pleurae et pulmonum	9	3	8			4	
	peritonei	1	3	3			1	
	ventriculi		3	3				
	intestinorum tenuium	1	3	3			1	
	— crassorum	2		2				
	hepatis et lienis .	2		2				
	articulorum . . .		2	2				
	musculi psoas . .		1	1				
	Catarrhus chronicus .	1	1	2				
	Erysipelas	3	1	3			1	
	Myalgia rheumat. . .	1	3	4				
	Ischialgia — . .	1		1				
	Skelalgia rheumatica .	1		1				
	Cardiosthenia . . .	3	1	4				
	Scarlatina	1	1					
	Morbilli	3	3					
	Rubeola		1	1				
	Erythema	2		2				
	Peliosis	1		1				
	Urticaria	1		1				
	Variola vera	1					1	
	— modificata . .	2	1	3				
	Varicellae	2	2	4				
	Scabies	7		7				
	Herpes	2		2				
	Zoster	2		2				
	Latus .	77	51	104		1	15	

Status morbi.	Suscepti Milit.	Suscepti Civil.	Dimissi Sanati	Dimissi Emeliorat.	Dimissi Non sanati	Mortui.	Adnotationes.
Translatus	77	51	104		1	15	
Ichthyosis	1		1				
Lichen		1	1				
Tabes nervosa . . .		1		1			
Tuberculosis	2	1				3	
Scorbutus	3		3				
Chlorosis	1	1	2				
Taenia	1	1	2				
Hydrops	2	1	2			1	
Exsudat. pleuriticum .	3	1	4				
Emphysema pulmonum	2	2		4			
Pneumothorax . . .	1					1	
Syphilis secundaria .	5		4		1*		* Ad fin. cursus nosocom. traditus.
Anaemia (in scrofuloso)	1		1				
Cachexia potatorum .		1		1			
Pneumonorrhagia . .	2	1	2		1*		* Cum tuberculosi rus ad Möllersdorf missus.
Urocystorrhagia . . .	1		1				
Haemorrhoides . . .	1		1				
Cholera biliosa . . .	1		1				
Otorrhoea e carie auris intern.	1					1	
Icterus	2		2				
Arthritis		2	1			1	
Cephalalgia	1		1				
Colica	1	1	2				
Anoia	1				1*		* Nosocomio traditus.
Singultus periodicus .		1	1				
Spasmus scriptorius .		1		1			
Convulsiones	1				1*		* Translat. in nosocom.
Hypochondria . . .		1	1				
Hysteria		1	1				
Vertigo	1		1				
Vitium cordis organicum		4		3		1	
Physconia hepat. et lienis.	1	1	1	1*			Ad fin. cursus nosocom. traditus.
Morbus Brightii chron.	1					1	
Carcinoma	1			1			
Summa .	115	74	140	12	5	24	
	189						

I. Febres.

1. Febris nervosa.

Hujus quidem febris purae nec unicus obveniebat casus, verum *11 typho abdominali* laborantes sunt tractati, qui omnes in flore aetatis firma gaudebant constitutione. Plurimis in casibus ob praesentiam characteristicae morbi prosapiae jam ab initio diagnosis certa potuit institui, bis tamen processus typhosus exordiens latuit sub forma febris intermittentis et semel sub illa validae peritonitidis. Excepta unica puella, leviori typhi gradu correpta, reliqui cuncti graviter decubuere, et inprimis aegrotantes sexus sequioris statim ab exordio gravem praebuerunt passionem systematis nervosi, quibus in casibus affectiones locales et praesertim cephalopathia alto febris gradui respondebant.

Decursus erat subacutus, transitus in singula stadia quoad typum septenarium sat regularis, exacerbationes febris nec gradu nec typo constantes, sed tamen notabiles saepiusque mane quam vesperi intrantes. — Character febris nunquam vere inflammatorius occurrebat. Concomitantia catarrh. phoenomena aliquoties validissima indigitabant jamjam pneumoniam hypostaticam sub decursu evolvendam. E serie symptomatum abdominalium notabilis diarrhoea praedominabatur, meteorismus tamen nonnisi aliquoties eminens observari licuit. Crises, et quidem potissimum sudores atque miliaria, sub benigno decursu luculentae, constantes intrabant. Duabus vicibus crisibus non rite progredientibus, interceptis recidiva est insequuta, quam lentus decursus et crisium retardatio insigniebant.

Morbi posthumi constituebantur pneumonia hypostat., pleuritide gangraenescente, furunculis, scorbuto et peritonitide ex perforatione. E tribus mortuis unus succubuit debilitati summae, alter peritonitidi ex perforatione, et tertius obivit sub phaenomenis paralyseos pulmonum. Hujus aeque ac alterius historia breviter delineata sequetur.

Therapia. In primo stadio: salep, ipecac. dos. refr., acid. veget. vel mineral. diluta, lotiones cum aceto, fomenta frigida ad caput; in secundo stadio plerumque stimulantibus modo mitioribus modo fortioribus opus erat cum vel sine roborantibus; itaque valeriano, fl. et rad. arnicae, camph., china, vinum, elixir. acid. Hall. varia dosi et connubio diverso in usum trahebantur. Fomenta frig. plerumque diutius continuata, lotiones vero nunquam ante adparitionem crisium omissae. Tempore crisium et reconvalescentiae nil peculiaris adhibitum. Quibus in casibus pneumonia hypost. evolvebatur, vel durantibus crisibus phaenomena catarrh. eminebant, praeter potulenta mucilag., emoll. sal ammoniac., pulv. Plummeri et bis kermes mineral. in usum venerunt.

Typhus abdom. subsequa pleuritide hypost. gangraenescente.

Miles gregarius, 20 annorum, temperamenti sanguinico-cholerici, constitutionis fortis, vaccinatus, praeter erysipelas faciei pluries repetitum nullum morbum perpessus, in itinere (8. Octbr.) febri corripiebatur accedentibus postmodo capite tentato, vertiginoso, baryecoia, deliriis nocturnis, diarrhoea valida et insigni artuum delassatione. Itinere nihilominus continuato 22. Octbr. Viennam ingressus die subsequo in clinicum est susceptus. — Diagnosis facta: Typhus abdom. in II^{do} stadio, gradus sat alti,

statu virium adhuc sufficienti. Therap.: Infus. ipecac. (15 gr.) c. mucilag. gummi arab. et syrup. diacod., acid. sulf. dilut. in potu et lotiones cum aceto. Statu virium fluctuante et imagine morbi vix mutata ingruit 25. Octbr., ubi petechiae universim disseminatae cum notabili virium lapsu observabantur. Adjungebatur therapiae elixir. acid. Hall. Usque ad 28. petechiae paulatim fere penitus disparebant, et character febris adpropinquabatur activo; verum valida emergebant phaenomena catarrh., quin auscultatio et percussio materiale aliquod in organis respiratoriis substratum demonstrare potuisset. Acid. Hall. et lotiones omissae. — A 28. Octob. — 2. Novbr. frequens symptomatum oscillatio observabatur; status soporosus, indifferens vultus, sensibilitas et meteorismns hypogastrii atque tussis modo magis modo minus eminebant; facies nunc laete, nunc luride rubra, lingua vel humida vel sicca, pulsus nec non virium status variabilis; petechiae prorsus evanescebant, febris intensitate increvit. 1mo Novbr. vesp. prima eruptio miliaris in regione claviculari visa. Granum camph. mixturae adjectum. 3^tio^ juxta notabile symptomatum typhosorum incrementum et exacerbationem febris magna debilitas inveniebatur eruptione miliarium sub largis sudoribus ulterius contingente. Symptomata catarrh. in regressu, lotium turbidum, alvus involuntaria frequens. — Therap.: Camph. gr. 3 in infus. ipecac. — Pot. tepidus copiosus. — Proximis 6 diebus quaedam emelioratio observari potuit, febris nempe quidpiam minuta, vires tantillum increscebant et functiones mentales non tantopere erant prostratae. Sudoribus primum adhuc sat largis tussis et screatio muci tenacis, crudi reiterabatur. A 10. Novb. processus exitialis nisu aperto, non interrupto ad finem lethalem adproperabat Vehementia febris aeque ac adynamia summi fuit gradus cum plenaria prostratione omnis activitatis mentalis muscularisque, cum excretionibus involuntariis saepesaepius in-

sequentibus, absque ullo conatus critici vestigio. Tussi perfrequente molesta primo cum, serius absque sputis persistente molestia respirationis cito ad altum gradum increvit. Percussio in notabili ambitu dextri thoracis dedit sonum vacuum, obtusum, auscultatione ibi defectum respirationis docente. — China, arnica, camph., kermes mineral. in hoc rerum discrimine exhibebantur, sed frustra, nam 18. succubuit vita viribus exhaustis.

Necroscopia demonstravit mutationes organicas typhi abdom. in stadio ulcerationis lentescentis, obtulit porro in postica pleurae dextrae facie crustam gangraenosam magnitudine cruciferi, et in cavo thoracis dextro libras sex exsudati ichorosi.

Typhus abdom. perforatione intestinorum lethalis.

Studiosus quidam 18 annorum, laudabilis constitutionis, hucusque omni morbo immunis 26. Martii refrigerio capto incidit in febrim, molestiis deglutionis, tussi et diarrhoea comitatam. Quae omnia quum increscerent, licet aeger tandem primis Aprilis diebus medici cujusdam auxilium quaesivisset, et quum adhuc cephalaea nec non dolores ventris suspiciosi exorirentur, aegrotus 10. Aprilis nostrum est ingressus clinicum. Morbus aperte manifestabatur qua typh. abdom. gradus alti, characteris subinflammatorii, stadii secundi. Therapia: Salep c. mucilg. gum. arab. et syrup. diacod., potulenta acida, et propter notabilem encephalosymphoresin epithemata glacialia.

Incrementum tam febris quam affectionum localium, rerepentinus virium lapsus duabus jam diebus post observatus methodum roborantem, stimulantem indicabat, quam per aliquot dies sequuti sumus, usque dum adparitio vehementium symptomatum catarrh. et pulsus fortior redditus mucilaginosa, emollientia suaserunt remedia. Valida

febris perstitit per secundum stadium nullis ceterum deviationibus notatum. 18vo intrabant crises, quibus etiam somnus profundus, tranquillus, diuturnus accenseri debet, quarum sub decursu decrementum morbi sat celere insequebatur, ita ut febris 25to ad exiguum gradum esset depressa. Verum subsequo die mane aegrotus post praevium frigus conquassans subito dolores continuos validos urentes, pungentes in regione hypogastrica persensit, et paucis horis post absque ullo dubio fuit, quod sublateat peracuta peritonitis ex perforatione intestinali. Diris sub doloribus, anxietate summa, facie livida defigurata et frigescentibus extremitatibus aliquot post horas conscientia deleta et 12 horis serius mors est sequuta.

Necroscopia docuit processum typhosum in parvo ambitu localisatum et jam in regressu detentum, versus valvulam Bauhini pauca ulcera parva in sanationem nitentia, quorum unicum perforabat intestinum ad ambitum capitis acus. Exinde late propagata peritonitis cognoscebatur.

2. Febris catarrhalis.

Quatuor nonnisi casus hujus febris substantivae in clinico sunt tractati, quum alioquin in plurimis exanthematicorum, rheumaticorum aliorumque morborum occasio minime deesset, ut symptomata catarrh. eorumque influxum ac significationem observare possimus, eorumque medelam et explicari audiamus et practice exerceri videamus. Ceterum in hisce 4 casibus decursus et exitus erat normae penitus conformis.

3. Febris rheumatica.

Quinque sunt tractatae, e quibus 3 peculiaritate aliqua mentionem merentur. Una scilicet per periodicos insultus validae prosopalgiae unilateralis erat insignita, al-

tera per connubium cum peliosi clare explicata; utraque tamen consuetae cessit medendi methodo. Tandem obvenit in puella scrofulosa, repetitis vicibus arthritide vexata, rheumatismus febrilis cum affectione locali galeae aponeuroticae et ligamentorum humeri dextri, qui vehemens atque rebellis bisque recidivus per plures perdurabat hebdomades. Quo morbo tandem superato denuo resurgebant pristini dolores arthritici, quos tamen brevi per usum guajaci et sassaparillae in decoct. fugare contigit.

4. Febris gastrica.

Si excipis unicum casum, quo primaria affectio gastrica cum febri valida et encephalosymphoresi notabili occurrebat in individuo juvenili, robusto, sanguinico, reliqui 4 casus constituebant morbos secundarios, quibus debellandis sal ammoniac. in decoct tonico-solventibus brevi suffecit.

5. Febris intermittens.

Tres aegrotantes plectebantur forma febris sic dicta hungarica; aderat complicatio cum symptomatibus gastricis et notabili lienis infarctu. In 2 casibus hydrops anasarca gradus sat alti est evolutus. Verum remedia tonico-solventia dosi magna per longius tempus adhibita seriusque ob hydropem oborientem per connubium cum diureticis suffulta effectum salutarem non negarunt. Ast in unico aegro exantlata jam febri fugatoque infarctu lienis cum hydrope scorbutus tempore aestivo supervenit, quem tamen adhuc ante finem anni scholastici per remedia nota ars valuit sanare.

II. Inflammationes.

Meningitidis 5 observabantur casus in individuis juvenibus robustis. 4 fuerunt naturae mere rheumaticae, ultima vero prae se tulit naturam traumatico-psycticam, etenim valida encephali concussio antecesserat refrigerio inducto. Tribus in casibus paulo post exordium morbi susceptis exsudatio non ingruit, sed morbus per generosam antiphlogosin stadio congestivo ad resolutionem criticam est perductus. Quarto in casu therapia utut energica successu non coronabatur, sed processus deleterius altius semper exardescens 12mo die lethum induxit. Necroscopia demonstrabat phlogosin piarum meningum et ventriculorum cerebri cum exsudato seroso-albuminoso. — Quinti casus historia breviter delineata reddatur:

Miles gregarius, e Galicia oriundus, constitutionis robustae, 26 annos natus, 30. Novb. 1844 adhuc excubias egit, vesperi vero de cephalaea est conquestus. Subsequo mane sui plane inscius continuisque vehementibus detentus deliriis illico in nosodochium est transportatus, ubi venaesectione praemissa hirudines ad tempora et retro aures adpositae, epithemata glacialia capiti adplicata, tart. emet. dos. media et pro potu emuls. comm. cum nitro propinabatur. Post meridiem in clinicum susceptus imaginem obtulit ferocis meningitidis; hirudines, mixt. et pot. repetebantur. Vesperi deliria singulari delirii potatorum charactere notata eminebant, quamobrem simulque informati, aegrotum abusui spirituosorum esse deditum, semigranum acetat. morph. dedimus bisque adhuc sub decursu noctis, sed in cassum, repetiimus. 2. Dcbr. sub visita matutina obversabantur nobis symptomata exsudati encephalici: sopor profundus, motus voluntarii plenarius defectus, respiratio rara, profunda, stertorosa, involuntariae alvi atque uri-

narum excretiones, pulsus 80 intra minutam fortes, duri Tart. emet. gr. 4, et nitri drachm. 1 ulterius adhibita, insuper infrictiones mercur. ad drachm. omni 4. hora, et empl. canthar. ad verticem abrasis capillis sunt ordinata. Per diem aliquoties levia deliria intrabant cum automaticis manuum motibus ad caput et excretionum silentio. Vesperi sopor minus profundus, conscientiae sublatio eadem, pulsus 96. 3. Dcbr. symptomata pressionem cerebri significantia increverunt. Therapia omni intuitu continuata. Noctu exspiravit aegrotus. In cadavere magna est inventa quantitas exsudati suppuratorii inter velamenta cerebri atque medullae spinalis.

Delirium potatorum. 4 observabantur casus; bis morbus substantivus gradus sat alti, characteris erethici obvenit in vetustis heluonibus et cito per opii usum est sanatus, bis vero qua morbus secundarius accessit pneumoniae summe evolutae. Sed et hic, licet generosior antiphlogosis fuisset praemissa, therapia fausto coronabatur eventu; ast penes unum aegrotantem opii usum leviora stimulantia per aliquot dies continuanda excipiant fuerat necesse.

Inflammatio cordis 2 erat repraesentata casibus, quorum alter leviori gradu endocardio solum afflicto sanationem admisit, alter vero gravissimus tum endo-tum pericardio infestato mortem induxit.

Haecce endo - pericarditis pressit virum robustum 35 annorum, qui arthrophlogosi rheumatica laborans hoc malum adeo neglexerat, ut tempore susceptionis in clinicum nec unica articulatio inflammatione immunis esset infelixque aegrotans tantis diris cruciaretur doloribus, ut repetitis vicibus conscientia orbaretur et in lipothymiam incideret. Quum 8 post dies sub continuis sudoribus affectiones articulationum emeliorarentur, processus phlogisticus exarsit in velamentis cordis febri ad summum fastigiata. Ast denuo impetus fractus, tam febris quam phlogosis

luculentis sudoribus criticis decrescebant — verum refrigerio noctu admisso, omni organi cutanei actione salubri suppressa, gravis est exorta congestio ad penetralia atque subsequo die mane sub phaenomenis oedematis acuti pulmonum mors est insecuta. Sectio pathologica confirmavit diagnosim praevie factam.

Pleuropneumoniae numero 10 obveniebant, ***pleuritides*** merae nonnisi duae. Inter illas 8 occupabant dextrum, duae vero sinistrum thoracem, et unica solum vice punctum exortus erat apex pulmonis, dum in reliquis casibus morbus infra enatus sursum propagabatur. Unica pleuritide excepta, quae geneseos erat traumaticae, ceterae omnes e psyctica emanabant origine. 4 in casibus propter magnum hepatisationis ambitum mors erat inevitabilis, quae bis scenam clausit brevi post susceptionem in clinicum, quoniam morbus jam diu durans tum temporis amplam posuerat hepatisationem. — Plurimis in casibus phlebotomiae, plerumque reiteratae, nitr., tart. emet. dos. mag. et infrictiones mercur. sufficiebant processui solvendo. Expectoratione versus finem morbi cunctante pulv. Plum., et duabus vicibus ob insignem virium lapsum camph. in infuso arnicae dabantur.

Inter reliquas inflammationes penes nos tractatas sequentes censeo mentione dignas:

Peritonitidem psycticam in puella perquam erethica eo insignitam, quod in stadio incrementi pluries vehementes exoriebantur convulsiones. — Peritonitidem lethalem in individuo segni, male confecto, quae nullatenus vehemens lentum, chronicum servabat decursum. Criticis sub evacuationibus decernebatur febris et eodem fere tempore silebant plurima symptomatum inflammationis, aliqua tamen tensione atque expansione abdominis superstite. Plures septimanas status et aegri et morbi fere idem perstitit. Denuo adsociabatur febris depascens

cum rapida emaciatione, vomitus continuus, et pertinax alvi obstipatio vicissim cum diarrhoea. Tabes consumsit victimam et in cadavere secto patuit late diffusa tuberculosis peritonealis.

Duos morbos chronicos ventriculi sub forma lentescentis irritationis, quorum ex decursu et prosapia, ut praesertim aegrorum vultu, emaciatione, pertinaci vomitu reiterato et febri symptomatica, jure merito ad degenerationem quamdam membranarum ventriculi erat concludendum. Strictissimo regimine et sedulo usu remediorum emollientium pacantiumque phaenomena irritationis sedabantur, atque postmodo digestio ac nutritio labefactata ope tonico-solventium et leviter incitantium adeo sunt emendatae et corroboratae, ut uterque aegrotantium aliquot post hebdomades in statu notabiliter emeliorato spe ac gaudio plenus ex voto suo potuerit derelinquere clinicum nostrum.

Inflammatio intestini coeci gangraena processus vermicularis lethalis.

Miles gregarius, 24 annorum, robustus, nullum hucusque morbum perpessus, 8. Jan. 1845 refrigerium sibi contraxit. Altero die magna dedolatione ac delassatione artuum, periodicis doloribus in abdomine lancinantibus, ut colicis, erat detentus, quos vomitus semel insequutus lenierat; et vesperi frigus ceteraque febris symptomata prorupuere. Sal amarus alvum non movit. 10mo mane remissio omnium phaenomenorum, sed vesp. notabilis febris exacerbatio, vehementes dolores continui, pungentes abdominis, tenesmus, alvi obstipatio. 11mo incrementum morbi et praecipue dolorum tum intensitate quum extensione ita, ut omni abdominis ambitu ininterrupte saevirent; frequentes ructus et vomitus absque ullo levamine. In nosodochium adlatus hirudines et cataplasm. ad abdomen, emuls. conc. et enema

emoll. accepit. Hirudinum adplicationem sequebatur aliqua dolorum remissio, noctu et febris et inflammatio increvit. 12mo aegrotus in clinicum est susceptus cum valida febri et longe lata entero-peritonitide. Therapia: Venaesectio, emuls. oleos., calomel. (1 gr. p. d.) catapl. emoll. et clysma. Exacerbatio nocturna non tam vehemens. 13^tio febris quidpiam minor, inflammationis symptomata minus turbulenta et magis restricta ad regionem iliacam dextram. Ther.: 15 hirudines illuc adpositae, calomel ad gr. 3 p. d. — emuls., catapl. et clysma continuantur. Vesp. exacerbatio febris modica, alvus semel sequuta parca solido-mollis. 14to febris minuta, decrementum symptomatum inflammationis, largus sudor universalis. Infrictiones mercur. instituuntur. Per diem aliquot alviductiones cum levamine insequuntur. Per totam noctem somnus tranquillus et continuus sudor. 15. et 16to sub decremento morbi crises per cutem renesque perdurant. Calomel seponitur. 16to vesp. sat notabilis expansio abdominis tensi, meteoristici, magna anxietas, inquietudo et respiratio citata, pulsus 95 parvi, contracti, abdomen indolorificum etiam sub pressione. 12 gr. calomel. in 4 partes divisa, enemata cum sale amaro. Noctu 4 alviductiones indolis pultaceae sequuntur. 17mo insignis virium lapsus, facies hypocratica, pulsus 128 filiformes; anxietas, angustatio et inquietudo gravior, respiratio perquam frequens et anxia, meteorismus altius evolutus. — Balneum, emuls. et catapl. Singula phaenomena continuo ingravescunt et infelix metu mortis instantaneae agitatus demum 18vo post meridiem succubuit inevitabili sorti. In cadavere invenimus gangraenosam processus vermiformis perforationem et in proxima vicinitate exsudatum ichorosum coagulis fibrosis circumfusis, et ulterius parca quantitatae exsudatum suppuratorium.

Erysipelas in trunco. Vidua 60 annorum, constitutionis laxae, variolas veras perpessa, per ultimos annos multis obnoxia gravaminibus digestionis 24. Novbr. 1844 pane

cum vino post meridiem comesto noctu corripiebatur intenso frigore alternante cum aestu, et doloribus pungentibus in sinistro trunci latere. Versus auroram aestus continuus cum siti clamante. 25to praeter symptomata febrilia etiam vertigo, temulentia capitis et somnolentia adfuere. Purgans aliquod excitabat diarrhoeam, penes recensita symptomata 2 dies perdurantem. 28vo demum aegrota in clinicum est suscepta cum febri valida, symptomatibus gastricis et erysipelate phlegmonoso in sinistro trunci latere. Therap.: Decoct. tamarind. c. sal. Glaub.; hirudines in vicinitate erysipelatis et epithem. frig. ad illud. 29. et 30mo status fere idem; erysipelas proserpit, exacerbationes febris modicae, alvus facilis et aquosa. Hinc sal Glaub. omissus et loco epithematum fomenta sicca posita. 1. et 2do Dcbr. aliquod febris decrementum, erysipelas minus rapide proserpit. 3^{tio} ad alvum movendam mixturae infus. sennae additum. 4to vesp. vehemens febris exacerbatio cum deliriis, nox perinquieta, insomnis, dolores grandes in regione erysipelatis. 5to febris admodum aucta cum rapido virium lapsu, aegrota continuo sopore detenta, silentium dolorum in regione erysipelatis. Ordinabatur mitius stimulans et enema. 6to plenaria conscientiae abolitio, sopor profundus, facies hypocratica, gelidi artus, pulsus filiformis innumerus. Hora 11ma obitus placitus.

Sectio pathologica praebuit emphysema pulmonum, dilatationem ventriculi dextri cordis, hepar et lienem infarctum, catarrhum ventriculi, in regione erysipelatis in profundo exsudatum ichorosum.

III. Efflorescentiae cutaneae.

Observare nobis licuit:

Scarlatinam characteris erethici eo deflectentem a norma, quod prioribus in stadiis sat valida gastrica sympto-

mata aderant, quod stadium crisium aequo diutius tardabat, neque sudor nec legitima desquammatio ingruere volebant, et ipsius etiam febris crisis per urinas incompleta erat. Nec prius ac 14 post dies sub usu acetat. ammon. et infus. sambuci processus criticus absolutus adparebat.

Morbillos 3 et 1 rubeolam formae perspicue expressae, characteris subinflammatorii et regularis decursus.

Erythema simplex et nodosum, posterius in individuo stupido.

Peliosin psycticae originis et ***urticariam***, symptoma morbi gastrico-biliosi.

Morbi variolosi 4 exemplaria, semel variolam veram, ter modificatam, 4 quoque varicellas.

Variola vera tum quoad intensitatem tum quoad extensionem summi gradus membranas muciparas systematis respiratorii jam ab exordio graviter afflictas prae se tulit. Tempore exsiccationis ingruit maligna febris suppuratoria crisibus prorsus deficientibus. Pneumonia hypostatica citissime evoluta rapide ingravescens enecuit aegrotum 48 post horas.

Scabiem quinquies sic dictam siccam, et bis humidam, pustulosam. Ther.: 2—4 unc. ung. sulf., quo nonnisi partiales instituebantur infrictiones, sufficiebant morbo eradicando. Unico in casu scabiei humidae inveteratae penes puerum lymphaticum ad sanationem pustularum secundariarum adhuc per aliquod tempus manuluviorum cum solutione sublimati usus erat necessarius.

Herpetem semel crustosum in palmis manuum naturae arthriticae, et semel phlyctaenoden febrilem psycticum; ***zosterem*** duabus speciebus praebitum, semel secundarium, compositum cum morbo gastrico-bilioso, semel primarium psycticum.

Lichenem simplicem psycticae originis.

Ichthyosin profusam, excepto capite, per omne fere corpus, passim simplicem, passim corneam ut ad cubitos et genua. Vir hoc malo tertia jam vice insultatus erat miles hungaricus robustus ceterum sanus. Cura consistebat in usu pilularum pice liquida confectarum et balneorum cum hepate sulf. per aliquot septimanas protracto, quibus elapsis vir ex integro restitutus deseruit institutum clinicum.

IV. Cachexiae.

Tuberculoses. Praeter illam pulmonum, quae diversissimis sub formis et omni stadio nobis observanda data fuit, semel quoque tuberculosim pleurae et peritonei, et semel illam peritonei solius vidimus. — Priorem obtulit pyrobolarius 30 annorum, qui jam anno elapso cum exsudato pleuritico bilaterali altioris gradus in clinico nostro fuerat tractatus, unde exsudato penitus liberatus rus dimittebatur ad vires citius meliusque recuperandas. Auctumnum primitiasque brumae sat bene valens transegit, hinc inde nonnisi tussi et alvi obstipatione vexatus. Mense Januar. 1845 iterum cum exsudato pleuritico nobis advenit et febri symptomatica sat forti notabiliter emaciabatur. Sex hebdomadibus elapsis et gravamina pectoris et febris remittebant, atque exsudatum, alioquin minus copiosum ac pridem, resorbebatur aegerque eum in modum reconvalescebat, ut fine Februarii hinc dimissus muneribus suis fungi posset. 14 post dies refrigerio capessito enteritidem acquisivit vehementem late expansam. Symptomata febrilia characteri inflammatorio minus correspondentia potius febri symptomaticae lentescenti conveniebant. Et febris et inflammatio continuo fluctuabatur inter incrementum et decrementum; nec therapia rationalis poterat adferre multum emolumenti. Post aegrotationem 4 septimanarum abivit morbus in mortem sub phaenomenis, qualia gangraenam partium internarum solent concomitari. — Necroscopia obtulit tubercula

pleurae et peritonei, ileum prope valvulam Bauhini perforatum, margines foraminis proximamque vicinitatem sanie gangraenosa infiltratas.

Alterius casus jam supra penes peritonitidem mentio est facta.

Contra *taeniam solium* duobus aegrotantibus celeri ac fausto successu decoct. cord. rad. punic. granat. propinabatur.

E serie *hydropum* unus ascites resultato sectionis pathologicae memoratu dignus nunc delineabitur. — Mulier 30 annorum, constitutionis laxae, debilis, in infantia scrofulis mulctata, pluries glandularum tumoribus variisque efflorescentiis cutaneis laboravit. Anno aetatis 22do coepit ascites formari, quocum deinceps intra biennium tribus vicibus clinicum nostrum advenit, et singulis vicibus propter grandem abdominis expansionem punctio debuit institui, qua tricenae--quadragenae seri incoloris librae evacuabantur. Tempore intermedio sanitas nunquam perfecte rediit, sed continuo vexarunt gravamina digestionis cum obstructione alvi nunc majori nunc minori gradu, simulque decrevere vires ac nutritio eum in modum, ut aegrota, mense Martii 1845 quarta vice clinicum adgressa cum abdomine mirum quantum expanso admodum emaciata et debilitata fuisset. Quum moles seri accumulati magna cieret gravamina, punctio iterum instituta 40 libras seri turbido-brunescentis effundebat. Primis post operationem diebus aegrota mole liberata adpetitu magis vigente animoque exhilarato melius se habere coepit; aliquot post septimanas notabiliter erat refecta novaque seri collectio hucusque exigua. Ast re tam prospere procedente repente 11. Maji refrigerio probabiliter capto invasit peritonitis, cui aegrota intra 36 horas succubuit.

Aperiendo cavum abdominis effluebant circiter 20 librae seri turbidi, brunescentis, floccis coagulisque fibrosis intermixti; cavum ipsum explebat praegrandis saccus membranosus, parieti abdominali firmiter accretus, quo intestina

sursum in regionem epigastricam retrudebantur. Cum sinistro ovario in immediato est nexu et per plures parietes interstitios quaquaversus ductos in loculamenta partitus Membrana huncce saccum efformans variis locis densitate ac crassitie variat, inque interna facie indolem offert membranae serosae, sed et hinc inde vascula sanguifera, atque continet passim aliquot cystas prorsus segregatas, substantivas, sero limpido repletas. Versus finem hujus sacci adprope systema uterinum, ubi summa est membranae crassitudo, in exsudato reperiebatur materia calcea sub forma lamellarum ossearum deposita. Atque in hac membrana lethalis processus fixerat radicem, nam ubique visebantur in ejus facie interna injectiones vasculares lineolatae striataeque, et ubique reperiebantur sedimenta fibrosa sub forma floccorum et coagulorum majorum praecipitata. Inferior pulmonum pars fuit compressa; ren sinister atrophicus.

Exsudata pleuritica numero 4 gradus erant alti, quorum 2 thoracem dextrum, 1 sinistrum et 1 utrumque tenuere thoracem. Ter modo lento exiguisque irritationis symptomatibus est ortum, quibus in casibus resorptio inducebatur usu digital., sal. tartr. et acet. additis serius scilla, junipero et infrictionibus jodatis. Quartum vero exsudatum celeri passu in individuo juvenili lymphatico sub phaenomenis vehementis pleuritidis oriebatur. Quum aegrotans 6to morbi die in clinicum susciperetur, exsudatum explebat totum cavum thoracis sinistrum, cordisque adpulsus ad dextram sterni marginem inter 5. — 6. costam observabatur. Sub usu salium antiphlog., acidor. vegetab. et infus. digital. totum quantum exsudatum 4 post hebdomades erat resorptum.

Qua sequela ruptae cavernae tuberculosae semel *pneumopyothorax* exortus in individuo jam summe confecto nobis observandi gratia est adlatus, vixit adhuc 5 dies moribundus.

Syphilidis universalis 5 vidimus exemplaria.

1mo Miles quidam 34 annorum 20mo vitae anno ulcere glandis syphilitico, 26to blennorrhoea, et 28vo iterum ulcere fuit multatus. Tribus annis post, refrigerio capessito, turbae olfactus et dolores in sterno claviculisque cum febri emergebant. Quae tamen symptomata usui calomelanos, quin justum observatum esset regimen, brevi cedebant. Verum non diu post in cute femoris dextri inflammatio ulcerosa doloresque vehementes ossis ejusdem exoriebantur; quare aegrotus ad thermas Carolinenses est profectus salutem inde sperans, sed destitit modo, seseque ob luem altius evolutam contulit Pragam in nosodochium militare Curae jodatae ibidem subjectus molestantibus brevi liberatus symptomatibus reditum, quin crises rite absolvisset, ad stationem est molitus. Ast refrigerium captum resuscitabat dolores, quibus coactus aegrotus ab itinere destitit rursusque kali jodat. sumsit. 4 post septimanas ad stationem reversus denuo curam jodatam leviorem irregulatam recepit, qua quum a malo suo pertinace liberatus non esset, salutem suam accredidit medico homöopathico. Verum in dies status ejusdem deterior evasit; quamobrem infelix summe emaciatus ac debilitatus febri et evacuationibus colliquativis, cruciatus doloribus et obtectus ulceribus Viennam est profectus sperans fore, ut in metropoli artis praesidio possit salvari. Penes nos susceptus extremitates ulceribus refertas, numerosos tophos in finibus articularibus ossium longorum, in costis, claviculis cranioque prae se tulit. Febris fuit valida, quies diris doloribus praesertim noctu saevientibus prorsus denegata. Cui rerum discrimini methodicam curam cum jodo placuit opponi. Accepit kali hydrojod. in pulv. incipiendo a 15 gr. pro die, singulis quinis diebus adscendendo 5 granis et sic pervenit usque ad 65 gr. pro die. In 8va septimana internus jodi usus externe quoque per balnea Jodata (kali hydrojod. et jod. pur. in aqua sol.) est adjutus,

quorum habuit 20, ab initio omni altero, serius omni die unum. Insimul strictissimum erat injunctum regimen. Versus finem mensis tertii adparuere crises per sudores, urinas et leve eczema; (jodum seponitur) quae quum post 3 septimanas tardare inciperent, mercur. sublim. corr. in solutione parvis dosibus adscendentibus (in toto 4 gr.) propinabatur simulque decoct. sassapar. et guajac. per 14 dies adjungebatur. 4 post menses syphilide liberatus ad vires recuperandas domum est reversus.

2do Arthralgia syphilitica cum strictura urethrae etiam inveterata et variis tam mercurialibus quam aliis antisyphiliticis remediis semper cum lenimine notabili tractata verum nunquam radicitus evulsa. Iterum jodum tum in- tum externe in usum tractum minori tamen dosi et brevius per tempus faustum induxit successum. Contra stricturam urethrae cereoli eburni et unguent. e kali hydrojod. bene fecerunt.

3^{tio} in casu, quem praebebat syphilis recens, pura sub forma ulcerum in faucibus et lichenis, aliquot grana mercurii solub. Hahnem. suffecere scopo sanationis.

Reliqui 2 syphilidis casus formam ulcerum, nodorum ac condylomatum exhibentes alto in gradu cum solutione sublimati crescente dosi sunt tractati. Uno in casu per hancce curam lues est devicta; ast in altero propter supervenientem dyscrasiam scorbuticam sublimato seposito acid. nitricum et china in usum venerunt. Quod quum fuisset versus finem anni scholastici, aegrotus nondum sanatus transferri debuit in divisionem nosodochii militaris.

Unus *anaemiae* casus in scrofuloso insignitus erat alto gradu eoque, quod omnia physicalia vitii cordis organici phaenomena praesto erant, ita ut illius exclusio per longius tempus fuerit impossibilis. Aegrotantem, quum vix esset ingressus valore roborantium, chinae, ferri semitam convalescendi, invasit adhuc typhus abdominalis, quo tamen exantlato viribus longius per tempus recuperatis redintegratus instituto valedixit.

V. Eccrises.

Exinde peculiarem merentur mentionem 2 casus nempe *urocystorrhagia et otorrhoea.*

Prior obvenit in equite juveni, robusto, polonico, qui 23[tio] Novbr. 1844 absque causa nota plectebatur stranguria. Die subsequo mane magno cum dolore ac tenesmo evacuabatur sanguis partim fluidus partim coagulatus per urethram. Illico in nosodochium transportatus vesicam urinariam valde extensam atque in statu irritativo detentam, nec non sat validam febrim exhibuit. Febri ac statu irritativo per generosam antiphlogosin minutis, magnis sub gravaminibus notabilis copia sanguinis spissi, atri coagulis intermixti excernebatur. Quum altero die vesica rursus repleta cognosceretur, cathetere est evacuata; solutio alum. c. acido Hall. propinata et ad regionem pubis fomenta frig. sunt adplicata. Quorum sub usu continuato remediorum aliquot post dies effluvium sanguinis perfecte siluit atque miles 5[to] Decbr. sanus est dimissus.

Otorrhoeam observavimus in milite quodam, qui mense Junii cum febri gastrica in clinicum erat susceptus. Secundum relationem aegroti otorrhoea fuit sequela alicujus traumatis et perstitit jam per 4 annos. 5[to] post susceptionem die aegrotus, cujus reliquus status jam in melius vergebat, convulsionibus invadebatur, quae intra biduum, licet antiphlogosis esset adplicata, pluries reiterabantur, quas denuo sopor, paralysis artuum et post 12 horas mors est insequuta. Necroscopia monstravit cariosam destructionem partis petrosae ossis dextri temporum, perforationem meningum, flavo-viridicantem emollitionem cerebri in lobo medio dextro prope ventriculum lateralem magnitudine pugni puerilis.

Haemoptoë semel in individuo haemorrhoidario et bis in tuberculosis obvenit, quorum ulteriorum unus, quoniam cachexia progressus lentos quidem sed irresistibiles faciebat,

post longiorem usum seri lactis et decocti malthi in Möllersdorf est translatus. Reliqui duo congestionibus ad pulmones adaequata therapia sublatis immunes ab omni gravamine clinico sunt egressi.

Unus casus *arthritidis inveteratae* summi gradus memoratu dignus est, qua plectebatur virgo vetusta. Morbus perfecta neglectione fastigiatus saeviebat e 2 annis continuo in extremitatibus inferioribus et praesertim articulationibus genuum et tarsorum, quum miseranda femina admodum consumta cum contracturis et oedemate extremitatum inferiorum, earum anchylosi articulationum nec non decubitu lato in clinicum adportaretur, ubi per 2 menses cum aliquo levamine tractata postremo, gangraena partium externarum late expansa viribusque prorsus exhaustis, miserabilem finiit vitam. — In sectione pathologica reperimus cariosam destructionem partium articulationem genu sinistri constituentium, infiltrationem suppuratorio-saniosam totius femoris usque ad coxam, notabilem incrassationem ac partiales concretiones partium mollium in flexuris pedum.

VI. Nevroses.

Cephalaea naturae rheum. concomitata irritatione vaginarum muscularium periodos celebrabat. Primae periodi motu febrili comite largisque sudoribus finiendae colebant typum tertianum serius transiturum in quotidianum, sic ut singulis diebus vesperi veniret insultus sed brevior mitiorque. Therapia leniter antiphlogistico-diaphoretica sanitatem restituit.

Colica item psyctica characteris leviter inflammatorii per remedia emollientia et regimen strenuo diaphoreticum cito faustoque est sanata.

Anoia in pyrobolario quodam aliquot mensibus, postquam praefectus muneri scaporum sclopetariorum adaptandorum per 2 annos alto aestui continuo expositus repetitis

vicibus encephalosymphoresi laboraverat, lente evoluta hic observari licuit. Praeter illas congestiones encephalicas periodicas et peculiarem vultus expressionem, qualis convenit anoico, nihil morbosi erat detegendum. Postquam per 2 menses methodo antiphlogistica solvente erat tractatus, fere liberatus ab encephalosymphoresi, verum quoad mentem parum restitutus ob finem anni scholastici translatus est in nosodochium.

Singultum periodicum observavimus in puella tenera, debili, quae menses sero ac semper inordinate celebrabat. Illa nevrosis, jam anno elapso post pemphigum decursu turbatum exorsa, penes nos remediis partim pacantibus partim alterantibus majoremque in systemate cutaneo secretionem efficientibus bono cum successu fuerat tractata. Ast in sequelam validi pathematis deprimentis ille singultus de novo resuscitatus iterum curae nostrae statim ab initio anni curr. est accreditus. Insultus, aeque frequentes et vehementes ac anno elapso, formam singultus serius nonnunquam cum illa convulsionum nec non tetani permutabant. Remedia scopo magis paregorico adhibita: aq. laurocer., fl. zinci et leviora aromata parum praestiterunt; magnetismus mineralis interdum durante paroxysmo adplicatus effectum quidem medicamentosum sed non salutiferum praebuit.

Tandem methodica decocti Zittmanni adplicatio luculentas crises per miliaria, sudores et urinas excivit, quarum post introitum omnis paroxysmus emansit nunquam rediturus; nam medio Januario ultimus vexaverat insultus et versus finem Martii puella refecta multoque melius prospiciens deseruit clinicum nostrum.

Spasmum scriptorium complicatum cum febri rheumat. observandum nobis praebuit netrix; ast quamprimum rheumatismus erat abactus, puella rebus domesticis coacta clinicum deseruit, quin directe quid contra illam nevrosin factum fuisset. Sed tamen tempore dimissionis aliquantum

emeliorata fuit in sequelam longioris abstinentiae a consueto nendi labore. Quamobrem consuluimus illi, ut alterum amplectatur opificium.

Convulsiones vehementes militem juvenem robustum infestantes quoad rationem typicam pro febri intermitt. larvata primum imponebant, sed effectus therapiae repellebat istam opinionem. Postquam etiam per alia nervina nihil impetrari potuerat, aegrotans in divisionem est remissus.

Hypochondriae materialis vidimus casum, ubi turbae circulationis in systemate venae portarum nec non alienationes organorum cavi abdominis momentum sistebant causale. Quod malum quum fuisset correctum, aegrotus est dimissus, ut balneorum usum capiat.

Contra *hysteriam* mere nervosam nonnisi nervina fausto cum eventu sunt usitata.

Vertigine fuit detentus vir quinquagenarius molestiis haemorrhoidalibus valde gravatus potuique aequo magis deditus. Tart. stib. dos. refr., acida vegetab., vesicant. in suppuratione retenta, et fomenta frigida hinc inde in usum tracta praestiterunt effectum optatum.

VII. Vitia organisationis.

Vitiorum cordis organicorum 4 adfuere casus, et quidem bis insufficientia valvulae bicuspid. et hypertrophia dextri ventriculi, semel insufficientia valvularum et asperitas aortae cum hypertrophia cordis sinistri, et semel insufficientia bicuspidalis ex notabili incrassatione et concretione filamentorum tendinosorum cum aneurismo cordis dextri passivo. Quibus omnibus in casibus praedictae desorganisationes secundariae et quidem modo haec modo illa, nunc in priori nunc seriori stadio examine physicali magis magisque elucescebant. Insimul potuimus observare qua morbos deuteropathicos: catarrhum pulmonum et tractus intestinalis, haemoptisin, infarctum hepatis lienisque, hydropem anasar-

cam atque ascitem, oedema nec non blennorhoeam pulmonum. Quorum aegrotantium tres in statu, praesertim quoad morbos deuteropathicos, notabiliter emeliorato e clinico sunt egressi; quartus autem ex enormi sanguinis in pulmonibus stasi subsequaque pneumonia est interemtus.

Contra unam *physconiarum lienis* hic tractatarum, prolem subsequam febris intermittentis pluries recidivae, sal ammoniac. dos. magn. usque ad 4 scrupl. p. die celeri cum successu est adhibitus. Dolendum, quod propter finem anni scholastici aegrotus ulteriori observationi est subtractus.

Morbus Brightii, chemica ratione enatus, curae nobis est traditus, quum jamjam et collectiones serosae et virium debilitas altum attigissent gradum. Kali hydrojod., acida, diuretica mitiora fortioraque non magis praestiterunt, quam serius connubium remediorum roborantium ac diureticorum. 3 post menses aegrotus consumtione virium exspiravit.

Carcinoma sedem figens in cavo abdominis mulieris 42 annorum, emaciatae, debilitate confectae, febri gradus alti fuit concomitatum. Ab initio nonnisi emollientia et pacantia porrigebantur, quia ventriculus in statu irritativo versabatur; qui tamen postquam erat sublatus, ad roborantia nutrientiaque transitum fecimus tanto cum fausto successu, ut aegrota febri immunis, sat bene nutrita et corroborata, parum molestata ab originario abdominis malo post moram 10 septimanarum e clinico nostro potuerit egredi domum

Theses defendendae.

1. Historiae naturalis studium ingenium acuit, animum format et exhilarat.

2. Quod anatomia topographica chirurgo, pathologica est medico.

3. Nulla fere consuetudo absque damno deponitur, cito si fiat, nec absurdorum ideo in melius mutatio impune fertur. (Petr. Frank.)

4. Optima panacea est diaeta.

5. Quo natura vergit, eo duci oportet. (Hippocr.)

6. Sudor quod non facit, facit udor. (Hippocr.)

7. Extremis morbis extrema sunt remedia.

8. Morbus saepe morbo curatur.

9. Morbus, in quo prodest mercurius, non ideo venereus.

10. Medicinae studium nonnisi morte finiendum.

11. Tenotomia in strabismo relativi valoris.

12. Cunctari utilius est quam festinare in arte obstetricia.

13. In ossium fracturis quo frequentius deligationem renovabis, eo minus sanabis.

14. Oculus et physiognomia in morbis psychicis summi momenti semiotici.

15. Vitia organica in sectione legali detecta suicidae vesaniam verosimilem reddunt.